



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

In Consecratione Moniales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

adhibet curam, tantoperè illas vult conservatas, ut nihil magis, hostes illarum, tot maledictionibus obruit ut nullos magis. Audite enim quid dicat hodie. *Authoritate Omnipotentis DEI, & beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus &c. ut est in Pontificali.* Has in custodiam tradit Abbatissæ, *Vide quomodo istas consecratas DEO servet & representet immaculatas, redditura pro eis rationem ante tribunal sponsi eorum venturi Judicii.* Collaboret illa omni suavitate ut dulce hoc Christi conjugium vobis reddat: collaborate vos omni humilitate & obedientiâ ut illi vos regere non sit amarum, exuistis omnem affectum ac terrena, nolite illum resuscitare per amorem vel minimæ rei temporalis. Memineritis vos habere thesaurum in vasis fictilibus, caveate ne hoc vas in terram decidat & frangatur, ventus ipse, scilicet colloquium incautum, fictilia ad terram dejicit, maximè si in fenestra illi exponatur, non impetatur lapillis munitulorum. Custos illius humilitas, sic enim non habebit quò cadat.

### De Eadem Consecratione,

**V**irginitatis est dignitas, quia Christus voluit nasci ex Virgine. Ambr. lib. de virginic. *Bona est continentia conjugalis, melior continentia vidualis, optima mundities virginalis.* Prima trigésimum, secunda sexagésimum, tertiam centésimum affert fructum. In cælo Angeli sunt virgines. Adam ante peccatum in paradiso fuit virgo. Matrimonio uti cepit post peccatum & exul. Rursus, est meriti maximi quia, ut Bonav. in 3. dist. 39. *Ubi est major difficultas ibi raris virtutis est majoris præmii & meriti.* At verò Aug. de Christiano agone, *Inter omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis, ubi continua pugna & rara victoria.* Bern.  
serm.



Serm. ad Monachos. *Cum mulieribus habitare & de mulieribus non cogitare, majus est quam mortuos suscitare.* Virginitas soli DEO vocat. Hieron. ad S. Virgines. *O Felix virgo in cujus corde, præter amorem Christi, nullus alius versatur amor.* Hæc est virtus maxima, quia ut docet S. Th. 2. 2. q. 152. a. 6. *Tanto virtus est major quanto per eam aliquis Christo magis conformatur.* Virgines autem sequuntur Agnum quocunque jeric. Greg. in Pastoral. *Canticum novum cum Agno singulariter cantare, est cum DEO in perpetuum de incorruptione carnis gaudere.* Consecratio, rei prophane, efficit sacram, & honore dignatur vestra virginitas, hodie DEO consecratur, ut jam non sit vestra sed DEI, sicut qui dat calicem templo jam non est ejus, & qui illum auferre vellet, jam non furtum, sed sacrilegium committit, imò etsi illum auferat quem ipse dedit, ut docet S. Ephrem adhort 1. Jam dicere potestis *Dilectus meus mihi & ego illi.* Dilectus immortalis, cum quo desponsatio non finietur per mortem, tota mens in hoc dilecto. Unde S. Nilus Abbas de oratione. *Si Orationis tempore mens tua vagatur, te nondum esse Monachum, sed mundi studiosum judicat & ea que sunt extrinsecus attendentem.* Et quia in vobis Virginitas non est ut in sæculo sed sacra, & cui votum obedientiæ adnexum, hinc alterum Martyrium & ejus corona. Hieron. in vita Paulæ. *Non solum effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devota quoque mentis servitus immaculata quotidianum Martyrium est.* Illa corona de rosis & violis plebitur, ista de liliis. Quia verò sponsæ Christi estis, ut sponsarum curam habet. Dixit quidam senex in vitis PP. lib. 2. *Sicut nemo potest ledere eum, qui ad latus Imperatoris est, ita neque Sathanas potest nobis nocere si anima nostra adhaerit DEO.* Hodie Religiosæ efficiimini. Audite B. Isaiam Abbatem Orat 9. *Si mundo renunciaſti, teque DEO per penitentiam addixisti, ne sinas te affligi cogitatione*

H

quasi



quasi vererum peccatorum veniam non impetrandam. Iterum ratione Religionis factæ estis Christi Sponsæ, idem Orac. 15. Qui ea quæ mundi sunt, reliquerunt, digni facti sunt, ut D. J. B. Sponsæ sint, & in eius unitate permaneant. Propter hoc, inquit Apost. Ephes. 5. Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhaerebit uxori suæ. Ita ut si Christus possit relinquere Patrem & Matrem, vos non desereret. De salute vestra certus vos facit S. Bera. Serm. ad FF. de monte DEI. Cella & cæli habitatio cognatæ sunt, quia sicut cælum & cella ad invicem videntur habere aliquam cognationem nominis, ita & pietatis. &c. Propter quod secundum formam propositi verbi laborantes potius in cælis quam in cellis &c. Quod geritur in cælis, hoc & in cellis, quodnam est hoc? Vacare & frui DEO, quod cum secundum Ordinem & pie celebratur in cellis, audeo dicere, S. Angeli DEI cellas habent procellis, & aquæ delectantur in cellis atque in cælis &c. A calo sapientiam cælum ascenditur, & vix moriens aliquis, aut nunquam, e cella in infernum descendit, quia vix unquam aliquis nisi in calo predestinatus, in ea usque ad mortem persistit. Omnium horum est ratio. Quia imprimis omnia peccata quæ in sæculo fecerunt Religiosus, per ingressum ad Religionem veluti per Baptismum tolluntur. Hæc doctrina est Hieron. Damiani. Bern. Odilo. Cluniacem coll. 2. ubi ait. Eadem gratia datur in monastico habitu quæ in albis Baptismi. Et hanc gratiam dantur maxima media conservandi.

### In Benedictione Matrimonii.

**F**ortasse non quisque cogitat etiam in cælo esse Matrimonium, siquidem quid ibi opus illo, ubi nemo moritur. Nam ideò res nascuntur novæ, quia antiquæ intereunt. Ideò flores novi, aviculæ &c. homines, quia Pater moritur.

Ac